Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1657

Quelle:
Copyright:



XVII. Non ignorat Amplitudo V. &c. *Mediolano. 2. Oct.* 1565.

XVIII. Mihi erat in animo conſtitutiones &c. *Mediolano. 13. Sept.* 1566.

XIX. *Queſta mia ſarà per uiſitar* &c. Roma. 29. Apr. 1564.

Praeter ipſum hoc Exemplar extat in Bibliotheca etiam Απογραφον aevo, ut videtur, *Dan. Neſſelii* ſumtum.

## DCXCV.

E. 47. a Codex membraneus gall. Sec. XV. Folior. 305. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus, praeter initiorum literas auro coloribusque ſpecioſas, pictura frontis Redemtorem in atrio templi ſedentem adgeniculantibus diverſae conditionis et profeſſionis viris feminisque, et Sacerdotibus ad latera peccatorum confeſſiones excipientibus referente decoratus, adpicto inferne Scuto ad extinctam, ut videtur, *Ramburiorum* Familiam pertinente, cum reliqua *Eugenii Sabaudi* Bibliotheca in Caeſaream tranſiit. Incipit ille minio: Cy *commence le prologue du liure de la vie de noſtre ſaulueur ihеſucriſt. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere ut ait apoſtolus* &c. Habemus igitur *Ludolphi* ſeu *Leutholfi de Saxonia* Viri piiſſimi, qui ex Ord. Praed. in Carthuſiam *Argentin.* transgreſſus medium Seculi XIV. vivendo non adtigit, Meditationes in Vitam Servatoris diviſas in *Capita*, quarum ſingula in ſacram Precationem definunt. Pluries jam illae Sec. XV. typis datae ſunt, etiam verſione gallica, quae interpretem prodit F. *Guilelmum le Menand* O. M. teſte *Quetifo* in *Scriptt. O. Praed.* T. I. p. 568. Eſt vero et alia Verſio, ſi *Deburium* in *Cat. Bibl. Valler.* T. I. p. 43. audias, autore *Joh. Manſel Hesdinenſi*, unde, quamnam e duabus *Codex* noſter referat, dicere non habeo, in Curioſorum tamen gratiam adſcribam initium: *A ledifice ſpirituel nul ne peut mettre autre fondement fors cellui qui y eſt lequel eſt noſtre ſeigneur ihеſus. Saint auguſtin dit que dieu eſt choſe ſouuerainement ſouffiſante et homme eſt choſe ſouuerainement defaillante. Et que dieu eſt tel bien que nul bien ne peut uenir a ceulx qui le delaiſſent.* &c. Continet porro *Pars* haec I. *Capita* LXI. quorum Elenchus ad calcem *Codicis* jacet, *Capite ult.* inſcripto: *De locupacion de marthe, et du repos de marie ſa ſeur.* Itaque deviat ab Exemplo latino, cujus *Pars* I. protenditur usque ad *Capita* XCII. et Confeſſionem *Petri.* Perperam etiam *Cap. ult.* ſubjungit Precationem, quae non ad *Martham* et *Mariam*, ſed ad *Mulierem Samaritanam* et *Cap.* LXII. pertinet.

## DCXCVI.

Codex membraneus gall. prae- E. 47. b cedenti in omnibus par, Folior. 324. eſt *Pars* II. *Ludolphi de Saxonia de Vita Chriſti.* Icon frontem exornans Hiſtoriam *Mulieris Samaritanae* ad fontem eleganter reprae-